

nitur immediate virtuti studiositatis, & pertinet ad vitium negligentiae oppositum eidem virtuti per defectum. Tract. 13. disp. 13. nu. 45. Ignorantia actualis pravae dispositionis, nisi sit invincibilis, semper est formaliter peccatum. n. 47. Peccata contra jus naturae ad extra consummata, quae fiunt ex ignorantia culpabili hujus juris sunt ejusdem speciei ac si fuissent scienter facta, in omnium sententia. n. 49. Immo omnia peccata commissa ex ignorantia simpliciter vincibili quantum tali, (sive illa sit juris ejusdemque, sive facti: sive tollat usum rationis, sive non, manent simpliciter in suis propriis speciebus, ac si fuissent scienter facta. (Diximus quatenus tali.) quia eadem ignorantia, quae respectu unius effectus est vincibilis, potest esse invincibilis respectu alterius, qui simul subsequatur, & hic non sequitur ex ea quatenus vincibilis est. num. 65.

70. In negligentia addicendi, illa peccata censentur volita, quorum proximo periculo quis exponitur, quaeque ex tali negligentia probabiliter timeri, ac praevideri debent. Tract. 13. disp. 13. n. 71. 75. Si ignorans praevidit v.g. periculum peccandi, aliquo ex tribus peccatis disjunctive, eo quod aequaliter singulorum imminet periculum, omnia illa committit in causa, non focus ac si praeviderentur copulative sequenda: si vero praevidit periculum peccandi vage, & in confuso, sine determinatione hujus, vel illius peccati; tunc attendi debent effectus pravi specificae diversi, quorum probabilis periculo, iudicio prudentis ignorantis exponitur, ex vi sui modi operandi, attentaque ejus notitia habituali, tempore, loco, aliique circumstantiis, omnesque hujusmodi effectus debent illi imputari ut interpretative voliti; & ideo quot fuerint praedicti effectus, tot erunt species malitiae in

ignorantia, vel ejus causa, supposito tamen quod advertentia, licet confusa fuerit plene deliberata. n. 81.

71. Ignorantia invincibilis antecedens si sit totalis, puta quia ignorantur tota malitia objecti, & circumstantiarum, excusat omnino actum a culpa: si vero sit partialis, quia v.g. una malitia objecti cognoscitur, altera ignoratur, excusabit tantum quoad illam, quae invincibiliter ignoratur. Tract. 13. disp. 15. nu. 83. Ignorantia simpliciter vincibilis diminuit, nisi sit affectata, malitiam actus, (nam quae est simpliciter invincibilis, vincibilis autem secundum quid, adeo diminuit malitiam, ut transferat de mortali in veniale. n. 85. Ignorantia, quae plus diminuit peccatum, conservata specie, & ratione mortalis, est illa quae dicitur pure invincibilis. Ignorantia crassa, & lupina minus diminuit quam pure vincibilis. Affectata, si procedat ex motivo minus contemnendi legem aliquantulum diminuit; si vero ex motivo liberius peccandi, potius auget malitiam, n. 86. 87. Ignorantia, quae in ordine ad praecipua naturalia, & divina censetur pure vincibilis, & non excusat transgressionem a peccato mortali, censetur etiam pure vincibilis, & non excusans transgressionem a mortali, in ordine ad praecipua humana. Tract. 20. cap. 14. num. 21. * Ignorantia invincibilis concomitans excusat omnino actum a malitia objecti, & circumstantiae quae invincibiliter ignoratur: sciam tamen dicendum si voluntas etiam ad id se extenderet: v.g. si quis jaceret fagittam ad occidendam feram in latibulo existentem, invincibiliter ignorans ibi latere inimicum, & eliceret hunc actum: volo occidere feram ibi latentem & etiam inimicum, casu quo illic esset: tunc enim occisio inimici, quae alias esset involuntaria ratione ignorantiae invincibilis, redditur voluntaria per

ex

* Apud. Salu. specul. tract. 13. n. 98. 92. Talis ignorantia in ordine, ad praecipua humana, censetur simpliciter invincibilis, & excusans a mortali, dummodo non sit crassa, lupina, vel & a fortiori affectata.

extensionem voluntatis. Tract. 13. disp. 13. n. 97. 98.

72. Metus est passio, qua refugimus malum futurum, cui resisti non potest. Tract. 9. cap. 9. n. 1. Metus aliquando est ab intrinseco, ut cum incutitur ab infirmitate, naufragio, incendio &c. & dicitur ab intrinseco quia metuens ipse sibi talem obligationem imponit ad evadendum illud periculum: aliquando vero ab extrinseco, scilicet a causa libera ad aliquid cogente. Tract. 14. cap. 1. n. 9. Metus ab extrinseco alius est iustus, alius iniustus. Metus iustus est cum qui malum minatur, iuste illud inferre potest: iniustus vero cum qui malum minatur, iuste illud inferre nequit. Tract. 9. n. 1. 43. Praeterea alius est metus cadens in virum constantem, alius cadens in virum inconstantem. Metus cadens in virum constantem est ille, qui dicitur constantiae, & fortitudini repugnat. Quinque sunt conditiones metus cadentis in virum constantem 1. ut malum quod timetur sit grave: 2. Quod non vane, & leviter quis credat sibi grave malum imminere: 3. Quod metum incutiens potens sit minas executioni mandare: 4. Quod minitans solutus sit malum inferre, quod minatur: 5. Quod illud malum nequeat facile a timente vitari. Tract. 10. In comment. ad art. 6. qu. 6. Grave malum cenetur in ordine ad metum graviter: mors, mutilatio, cruciatus, captivitas, amissio status gravis, stuprum, infamia, excom. iniusta, amissio bonorum notabilis. Tract. 9. cap. 9. num. 20.

73. In eo qui operatur ex metu, tres actus voluntatis concurrunt, nempe amor minoris boni, cuius jactura per metum eligitur: amor efficacis majoris boni, pro cuius conservatione eligitur jactura minoris: electio efficacis minoris mali, ad vitandum majus malum; quae omnia patent exemplo projicientis merces in mare ad salvandam vitam. Tract. 10. In comment. ad art. 6. qu. 6. Nullus metus excusat simpliciter a culpa, licet eam minuat. Quod autem

aliquando quis propter metum gravem a culpa excusetur, non est ex defectu voluntarii, sed quia leges humanae, & etiam aliquae divinae non obligant cum gravi incommodo; ideoque statim te metu gravi, cessat earum obligatio; & consequenter tunc non datur formalis transgressio. ibid. uu. 15. In quibus ubi agitur de evadendo metus gravis excuset, in propriis locis dicitur.

CAPUT IV.

De Legibus.

S. I.

De lege in communi, ejusque natura, & conditionibus.

74. CUM dicat Apostolus. Peccatum non cognovi nisi per legem; recte post doctrinam de peccatis, instituitur sermo de legibus. Lex proprie dicitur definitur a D. Thoma quod sit. *Quaedam rationis ordinatio in commune bonum ab eo, qui Republicae curam gerit ordinata, & sufficienter promulgata.* Tract. 11. cap. 1. n. 1. Lex primo dividitur in Aeternam, naturalem, & positivam. Lex positiva subdividitur in Divinam, & humanam. Divina iterum subdividitur in veterem, & novam: humana vero in Ecclesiasticam, & civilem. Praeter has leges datur etiam jus gentium, quod est medium inter naturalem, & civilem. *Lex aeterna est divinae mentis imperium promulgatum, quo omnes creaturae, in suos fines a Deo supremo Principe ordinantur in aeternitate.* Lex naturalis est quaedam participatio legis aeternae, vel quaedam intimatio legis aeternae creaturae rationali. Lex positiva, prout distincta a naturali, & aeterna, est quae a superiore accidentaliter provenit. Lex divina positiva, est quae Deus homines regit, quatenus constituentur corpus politicum: Lex humana positiva est, quae proxime, & immediata constituitur ab hominibus; & definitur.

tur: Principis humani imperium ordinatum ad bonum commune, & sufficienter promulgatum. Lex divina vetus, est imperium a Deo derivatum ad Angelum, qui nomine Dei illud innotuit Moysi, ut promulgaret populo divinitus electo, ut cum praeporteret ad legem Christi Domini, quem expectabat. Ut suis caeremoniis praefigurabat. Continebat autem tria genera praepceptorum: in oralia, caeremonialia, nec non & judicialia. Haec autem quantum ad caeremonialia, & legalia in morte Christi cessavit. Lex nova est, quae a Christo Domino data fuit, ut sunt praepcepta de Sacramentorum administratione receptione &c. n. 19. &c.

75. Lex Ecclesiastica est illa, quae a Superioribus Ecclesiasticis, qui a Christo Domino potestatem condendi leges immedieate receperunt, imponitur; & sic ab illo tantum ab auctore proprio provenit, subditosque dirigit in finem supernaturalem. Juris Canonici volumina sunt: Decretum, Decretales, sextus Decretalium, Clementinae, Extravagantes, & Bullarium; quae omnia (excepto decreto, quod nullam aliam obligationem inducit praeter eam, quam ingerunt in eo contenta,) obligant totam Ecclesiam. Tract. 11. cap. 1. num. 19. 43. Lex civilis est quae a Principibus saecularibus oritur, qui in ipsa Rep. habent potestatem, & praecipue attendit gubernationis politicae, subditosque in pace conservare. Partes principales Juris Civilis sunt: Digestum, Codex, & Instituta. Digestum subdividitur in Digestum vetus, Digestum Novum, & Infortiatum: Codex subdividitur in duas partes, quarum prima retinet nomen Codicis, 2. continet Antenticas, & Novellas. n. 19. 44. Dantur praeterea leges civiles propriae cuiuscumque Regni, & Municipales locorum. Leges Imperatoriae, sive Caesarum non habent vim obligandi in Provinciis, quae non sunt Imperatori subiectae; deserviunt tamen ut sapientum responsa, ad Iudicum instructionem, & directionem. n. 47.

76. Conditiones legis humanae, ad hoc ut habeat veram rationem legis sunt

quinque. 1. Quod imponatur toti communitati; in quo differt a praepcepto, debet autem esse communitas perfecta, politica, ut Urbs, Provincia, aut Regnum. 2. Quod feratur ab habente publicam, legitimam, & perfectam jurisdictionem positivam in talem communitatem; non enim sufficit potestas dominativa, sive aconomica, qualis est, quam habet Paterfamilias in filios, dominus in servos, & maritus in uxorem. Tract. 11. cap. 1. n. 6. 7. Tertia quod sit perpetua, hoc est pro nullo determinato tempore imposita, aliter non erit lex, sed praepceptum. num. 3. Quarta quod sit promulgata, & acceptata. n. 9. Quinta. & praecipua, quod sit ad commune bonum ordinata; ita quod ex intentione operis saltem, & per prius respiciat bonum commune, deinde particulare personas. n. 10. 13. Debet quoque lex esse honesta, iusta, & possibilis moraliter, secundum hominis naturam, patriae consuetudinem, locum, & tempus. Quas omnes condiciones debet habere lex ut vim obligandi habeat, & qualibet deficiente, non obligabit in conscientia. In dubio an lex sit iniusta, vel inutilis obtemperandum est, quia possessio stat pro lege. n. 15. 16. 18.

77. Est proprium legis facere homines bonos. Tract. 11. cap. 1. n. 48. Alius legis effectus est obligare. n. 52. Actus proprii legis sunt: Imperare, vetare, permittere, & punire. n. 54. Quomodo legislator humanus id ipsum praecipere vel prohibere possit, quod lex divina, aut naturalis; multa tamen potest praecipere, aut prohibere quae lege divina aut naturali nec praecipuntur nec vetantur. n. 59. Lex humana nequit omnia vitia collective prohibere: num. 62. Non est virtus cuius aliquis actus non possit cadere sub praepcepto legis humanae: ceterum omnes actus virtutum nec collective, nec divine potest humanus legislator sive saecularis, sive Ecclesiasticus praecipere. n. 64. Actus secundum se indifferentes nequeunt cadere sub lege humana. nu. 65. Probabilis est non posse legem humanam praecipere, aut

pro-

prohibere per se, & directe actus mere internos. num. 66. Si actus internus per se cum exteriori conjungatur, potest legislator humanus illum ex consequenti, & indirecte praecipere; si vero per accidens, & quasi concomitantur conjungatur cum eo, nullo modo eum praecipere potest. Dupliciter autem potest actus interior per se cum exteriori conjungi: vel tamquam forma illum constituens, saltem in esse morali, vel in ratione actus virtutis; & sic attentio interior requiritur ad orationem exteriorem; & intentio ministrum ad baptizandum &c. vel alio modo tamquam causa cum effectu, vel effectus cum causa; & sic qui praecipit jejunium, praecipit etiam actum volendi jejunare, & prohibet actum contrarium voluntatis, nu. 69. Ratione conjunctionis per accidens, nequit praecipere quod actus fiat cum hac vel illa intentione, seu fine extrinseco operi, & solum ab operante adiecto. num. 70. Actus exteriores omnino occulti possunt per legem humanam prohiberi. n. 71.

78. Promulgatio est quaedam intimatio exterior facta solemniter communitati, qua subditi possunt moraliter loquendo venire in notitiam legis. Tract. 11. cap. 1. nu.

75. Quousque promulgatio facta non sit, lex non obligat, licet ejus notitia a pluribus habeatur. num. 76. Si lex sit irritativa contractus, vel taxativa pretii, actum contra illam factum post illius solemnem, & completam promulgationem, etiam stante ignorantia invincibili, irritum reddit; quia talis ignorantia non reddit actum validum, sed tantum excusat a culpa. num. 78. Sicut ex legislatoris voluntate dependet ipsam legem ferre, & solemnitatem promulgationis assignare; ita etiam locum promulgationis, & tempus, quo obligare incipiat statuere. num. 81. Non est necessesse leges municipales, seu statuta a populo, & civitate stabilita, vel ab Episcopo, Archiepiscopo, aut Principe unam tantum habentem sub se provinciam promulgari in singulis illius civitatibus, sed sufficit, si in principali civitate pro-

Part. I.

mulgentur; nec requiritur tempus aliquod a promulgatione, sed statim incipit obligare, licet ignorantes a culpa excusentur. nu. 82. Leges caesareae promulgari debent in Metropolitanis singulari Provincia, & non obligant nisi post duos menses a promulgatione: in idem dicendum de legibus latis ab aliis Principibus quantumvis supremis, qui sunt aliquo modo Imperatori subiecti. num. 83. Leges Pontificiae, nec non & civiles a supremo Principe nullo modo Imperatori subiecto latae, ad hoc ut obligandi vim habeant, non est necessesse quod in singulis Provinciis promulgentur, nisi hoc ex jure, consuetudine, aut ex ipsis legibus praescribatur. num. 86. Leges Pontificiae & aliorum Principum independentium non habent vim obligandi sine in Curia sive extra existentibus quando in legibus non determinatur tempus,) nisi post duos menses a publicatione. n. 91.

79. Summus Pontifex potest legem condere obligantem totam Ecclesiam independentem a populi acceptance. Idem dicendum de aliis Praelatis Ecclesiasticis. Immo Ecclesiasticae leges subditos legislatores obligant independentem ab eorum acceptance, etiam absolute, & sine tali expressione latae sint. Tract. 11. cap. 1. n. 94. 99. Probabilis est neque leges civiles dependere a populi acceptance ad hoc ut obligent. Quando Princeps sub hac conditione a populo recipitur, nequit legem ferre sine populi consensu. Tunc lex a populo accepta censetur, quando major populi pars eam recipit, & observat, vel opere, verbo, aut scripto approbat: Si vero major pars animo eam non recipiendi non observet, minime accepta censetur. Potest autem esse accepta quoad substantiam, non quoad poenam: quoad unam partem, non quoad aliam: in una Provincia, & non in alia. nu. 96. 97. 102. Si instante tempore observationis de facto ab omnibus, vel a majore parte non observetur, & haec inobservantia duret tempore ad praesentem requisito, tunc lex amittit vim obligandi. Illi, per quorum inobservantiam

D

tiam præscribitur contra legem, peccant; minime vero alii, qui parati sunt observare cum major pars eam observaverit. num. 106. 107. Peccat populus legem iustam non acceptando. num. 108. In dubio de acceptatione, (supposita hujus necessitate,) possessio stat pro subditi libertate. num. 109. Probabilis est quod interposita a subditis ex juxta causâ supplicatione pro suspensione, vel abrogatione legis lætæ, interim habeat vim obligandi. Si legislator populo supplicanti hæbeat, (nisi aliud ex circumstantiis habeatur,) legem abrogare censetur. Interposita a subditis iusta appellatione ad superiorem ipsius legislatoris pro suspensione, vel abrogatione legis, ejus obligatio suspenditur usque ad definitivam sententiam. num. 110. 112.

§. II.

De obligatione, quam lex ex natura sua inducit.

80. Legem Ecclesiasticam, vel civilem posse obligare in conscientia, ita ut ejus transgressio sit peccatum; & multoties mortale, quando ita de legislatoris constat voluntate, adeo commune, & certum est, ut plures non immerito asserant esse de fide. Tract. 11. cap. 2. nu. 1. Nulla igitur dari potest lex præceptiva, quæ vim non habeat obligandi in conscientia; aliter vera lex, aut præceptum non erit. n. 3. Leges injustæ, ex quocumque capite injustæ sint, non obligant per se ad sui observantiam; poterunt tamen obligare ratione scandali; ut si lex communitur putaretur; & ut talis observaretur ab aliis, nec esset contra bonum divinum, aut naturale. n. 8. Leges iustæ tyrannice gubernantis, qui tamen Regnum legitime obtinuit, obligant ad sui observationem. Leges lætæ a Tyranno sibi Regnum usurpante, dum adhuc Respub. ei resistit, nullum obligant. Nulli dubium est leges iustas lætas ab eo, qui sibi Regnum usurpavit, jcd postea a Respub. approbatus est; &

voluntariè admittis, obligare in conscientia. Etiam leges iustæ ejus, qui tyrannice Regnum usurpavit, & a Respub. non quidem voluntarie; sed invitate, depositis propter impotentiam armis, sine oppositione toleratur, obligant in conscientia: hunc autem Tyrannum leges iustas ferendo, venis est non peccare. n. 9. &c.

81. Si legislator exprimat, velle obligare ad penam, & non ad culpam; vel, quoad unam partem, non quoad aliam ejus intentioni standum est. Si dubium sit an verba legis contineant præceptum, vel consilium, aut exhortationem: an obligent ad mortale vel ad veniale, mitior pars eligenda; & quando non constet de voluntate legislatoris, pro libertate judicandum est. n. 12. Quando verba secundum communem sensum, & acceptationem præceptum, seu legem significant, nisi aliud constet de voluntate legislatoris, inducunt obligationem in conscientia; qualia sunt, v. g. Jubeo, præcepto, prohibeo &c.; vel equipollentia, ut: teneantur omnes, nemini liceat &c. nisi consuetudo obtinuerit, ut tantum sub tali forma determinata obligatio inducatur. Parentes respectu filiorum, Abbatis respectu monialium, cum non habeant jurisdictionem spirituales, nequeunt præcipere in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, vel sub præcepto. Si præcipiant aliquid sub malefatione æterna, vel alia simili forma, & materia sit gravis, obligant sub mortali. num. 13.

82. Verba imperativi modi, ut: facite hoc: solveite: abstineant &c. aliquando præceptum, aliquando consilium significant; quare in illis standum est consuetudini, & communi acceptioni; & si de his non constet, materia gravitas, vel necessitas attendatur: in legibus tamen Pontificiis, & conciliorum decretis semper censenda sunt præceptiva. Illa vero verba: Volumus, sancimus, ordinamus, decernimus &c. nisi aliud ex circumstantiis colligatur, ambigua sunt ad obligationem, vel simplicem exhortationem. Tract. 11. cap. 2. n. 14. An lex

lex, vel præceptum obliget sub mortali, vel veniali nequit sufficienter cognosci, nec ex sola legislatoris intentione, nec ex sola gravitate, aut levitate materiæ, nec ex solis verbis ipsius legis, sed ex omnibus istis colligendum est, prout infra dicitur. num. 16. Nulla lex five civilis, five Ecclesiastica circa materiæ, quæ omnibus inspectis sit levis, potest obligare sub mortali. num. 18. At potest legislator gravem materiam sub levi obligatione præcipere. num. 20.

83. Tres regula assignantur pro cognoscenda gravitate, vel levitate materiæ, & consequenter ad discernendam an obligatio, ex hoc capite, sit sub mortali vel veniali, ubi de legislatoris mente non constat. 1. Quando actus imperatus aut prohibitus multum conducit ex genere suo ad Charitatem Dei, vel proximi habendam, vel conservandam: ut sunt actus pietatis, justitiæ &c. tunc obligatio est sub mortali; si vero ex genere suo parum conducit, ejus obligatio erit sub veniali, ut est verbum otiosum, mendacium &c. nisi ratione circumstantiæ adjunctæ transeat ad materiam gravem, ut mendacium graviter perniciosum: verbum otiosum cum tali persona, vel in tali loco, quod scandalum gigneret. Hinc omnia præcepta & leges humanæ, quæ respiciunt Deum diligendum, credendum, colendum &c. & etiam quæ respiciunt dilectionem proximi, justitiam &c. ex genere suo obligant sub mortali. Tract. 11. cap. 2. num. 22. Secunda regula est: Præcepta, vel leges, quæ res secundum se leves, inspecta dumtaxat earum materiæ, jubent: quæ tamen multum ad finem a legislatore intentum conducunt, five ex circumstantiis, five ex natura sua comparative ad talem finem, inducunt gravem obligationem: quæ vero inspectis omnibus, parum ad talem finem conducunt, solum obligant sub veniali. Finis intentus ab Ecclesia in suis præceptis est profectus animarum: finis intentus a Religione Prælati est observantia trium votorum substantialium: finis vero in-

tentus a legislatore civili est optima Respub. gubernatio in ordine ad bonum commune. num. 24. Potest autem esse quod materia aliqua quæ multum conducit ad finem unius legislatoris, & parum conducit ad finem alterius; & sic auditio sacri imperata a superiore Ecclesiastico, vel Regulari obligabit sub gravi; imperata vero a legislatore civili obligabit sub levi. In dubio an parum vel multum conducit judicandum est in favorem superioris. n. 25.

84. Tertia regula est. Quando forma secundum se gravis est, latitudinem tamen admittit, ut non tota integra in qualibet materia salvetur: tunc licet actus ratione formæ sit ex genere suo peccatum mortale, tamen quia tota ratio offensionis, & damni non salvatur in qualibet materia, admittenda est parvitas materiæ, ideoque si transgressio sit in materia gravi, est peccatum mortale, si vero in materia levi, est peccatum veniale, ut patet in furto, detractione &c. At quando forma est secundum se gravis, ut tota ratio offensionis indivisibiliter salvetur in qualibet materia, non est in tali casu admittenda materiæ parvitas; ideoque quælibet transgressio etiam in materia minima semper est peccatum mortale, ut patet in infidelitate, perjurio &c. Tract. 11. cap. 2. n. 26.

85. In iis quæ admittunt parvitatem materiæ, non est inspicienda materia solitarie sumpta, sed comparative ad subiectum circa quod versatur, & ad præceptum quo prohibetur, vel præcipitur. Quare in qualibet materia latitudinem admittente, datur materia gravis absolute talis respectu cujuscunque, five sit partialis, five totalis materia præcepti, ut v. gr. furtum 100. aureorum, quæ materia a quocumque auctoratur semper est gravis. Et datur materia parva absolute talis, ut furtum unius assis, quæ per se est materia parva respectu cujuscunque; licet per accidens possit esse gravis ut furtum acus, sine quo factor videtur lucrari nequeat. Insuper datur materia respectiva, quæ respectu unius

gravis censetur, levis vero respectu alterius, ut patet in eadem materia iustitiæ; furtum enim duorum argenteorum erit materia levis respectu ditissimi, sed erit gravis si a paupere auferatur. Tract. 11. cap. 2. num. 27.

86. Quotiescumque materia parvæ moraliter uniantur vel inter se, vel in ordine ad eundem effectum, ex illis una materia gravis efficitur; secus si non uniantur. Tunc autem moraliter uniantur quando plures componunt moraliter unam materiam totalem vel in ordine ad idem præceptum, vel ratione ipsarum, vel ratione effectus ab ipsis relicti; & tunc ultima transgressio in materia parva constituit peccatum mortale. Ut si quis v. gr. (supposito quod laboraret per duas horas in die festo sit peccatum mortale,) laboraret in eodem die festo quatuor vicibus per dimidiam horam, in ultima dimidia peccaret mortaliter, quia uniantur in ordine ad idem præceptum. Similiter qui committit plura furtiola, quæ unita constituunt materiam gravem, committit in ultimo peccatum grave, quia uniantur moraliter ratione effectus, scilicet damni illati, & detentionis rei alienæ in magna quantitate. Tract. 11. cap. 2. num. 29. 30. Discontinuantur vero moraliter materiae vel ratione temporis, vel ratione præcepti, vel ratione subsectorum. Ratione temporis, ut si quis singulis diebus festivis dimidia hora laboret. Ratione præcepti, ut si quis plura præcepta in materia parva transgrediat. Ratione subsectorum, ut si quis plures homines eodem die festo dimidia hora laborare faciat. n. 31.

87. Sive materiae parvæ sint tota materia voti, ut si quis voveret recitare quotidie salutationem Angelicam, & omitteret v. g. per annum; sive sint materiae partiales, ut si quis voveret audire quotidie sacrum, & per annum quotidie modicam sacri partem omitteret: dicendum, quod si dies est assignatus pro termino præfixo obligationis, (quod in votis personalibus semper præsumitur, nisi aliud constet de intentione)

illa materia non continuatur moraliter ad constituendam materiam gravem, cum sint onus diei; nec omittens peccat mortaliter, licet ab initio habuisset animum omittendi per totum annum. Tract. 11. cap. 2. num. 32. Si autem dies non sit assignatus pro termino, (quod in votis realibus frequenter contingit, ut in voto dandi quotidie elemosinam parvam,) tunc illa materia parvæ continuatur moraliter in ordine ad constituendam materiam gravem: nisi forte promissio facta sit in honorem diei, (quod ubi non constat de intentione voventis semper præsumitur, quando nominatur individualiter talis dies,) ut si quis voveret elemosinam parvam singulis sabbatis. nu. 33. Concurrentibus eodem die pluribus votis de diversis ex diverso motivo, si quis singula in materia parva transgreditur, non peccat mortaliter. n. 35.

88. Contemptus potest esse vel rei præceptæ, vel legis, vel ipsius legislatoris. Contemptus, sicut & inobedientia est duplex: materialis, seu generalis; & formalis, seu specialis. Contemptus materialis datur in quolibet peccato; contemptus vero formalis importat ultra fractionem legis, motivum parvipendendi legem, vel legislatorem ut talem. Tract. 11. cap. 2. num. 37. Contemptus formalis legis ut lex est, vel legislatoris ut talis, sive sit divinus, sive humanus in quacumque parva materia semper est peccatum mortale. nu. 38. Quod si quis violet legem non ex contemptu ipsius legis, aut legislatoris, sed ipsius rei præceptæ: tunc si materia fuerit levis, erit tantum peccatum veniale, si vero fuerit gravis, peccatum mortale; non tamen habebit circumstantiam specialem contemptus. num. 39. Similiter si quis nolit obedire superiori propter indignationem, seu repugnantiam ad ipsum, vel propter contemptum illius; non ut superior, sed ut talis persona inducta, imprudens &c., non erit contemptus formalis. n. 40.

89. Pena alia est positiva, scilicet quæ solum actionem, vel passionem importat

ut flagellatio &c. alia privativa quæ in privatione alicujus boni præcise consistit, ut excommunicatio, privatio officii &c. alia mixta ex positiva, & privativa, ut solutio tantæ pecuniæ, renunciatio beneficii &c. Ex his poenis aliae sunt spirituales, ut sunt omnes censurae: aliae temporales, ut confiscatio bonorum, exilium &c. Insuper aliae sunt laeæ sententiae, aliae sententiæ ferendæ. Tract. 11. cap. 2. n. 43. Omnes illae leges, quæ sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, seu laeæ sententiæ faciuntur, obligant immediate sub peccato mortali: quæ vero sub poena excommunicationis minoris; obligant vel ad mortale, vel ad veniale juxta gravitatem materiae. Hoc ipso quod excommunicatio absolute continetur in lege, de majori intelligendum est. n. 44. Similiter sub mortali obligant leges sub poena irregularitatis, suspensionis, & interdicti, (quando interdictum, & suspensio sunt censurae majores; Item leges sub aliis poenis spiritualibus: degradationis, depositionis, privationis sepulturae Ecclesiasticae, quando sunt laeæ sententiæ. n. 45. Idem dicendum de prædictis poenis quando sunt sententiæ ferendæ, sed ita quod delinquentes debeat absque alia monitione tali poena puniri. n. 46. Leges mixtæ ex poenali, & præceptiva; quæ scilicet ultra præceptum continent etiam poenam, licet ea sit temporalis, obligant sub peccato sive mortali, sive veniali juxta gravitatem materiae. n. 49.

90. Leges purè poenales, sive Ecclesiasticae sive civiles non obligant ad culpam, quantumvis gravissimas poenas temporales continent. n. 53. Præcepta sub poena præstiti juramenti, ut sunt statuta aliquorum Collegiorum, quæ jurantur a Collegis obligant pro quantitate materiae graviter, vel leviter, & juxta dicta. n. 83. n. 55. Leges Ecclesiasticae continent spirituales poenas v. g. excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem ipso facto incurrendas, de facto ad illas obligant ante iudicis sententiam. Similiter poenae inhabilitantes, sive sint juris Canonici,

sive Civiles. Idem dicendum de poenis non absolutis, sed conditionalibus, ut est illa Tridentini: Quod electus Episcopus, si intra sex menses non consecretur, ipso facto sit privatus Episcopatu. n. 57. 62. 63. Præter has nulla alia poena five pure privativa, five positiva; five mixta incurrunt ante iudicis sententiam saltem declarativam criminis, etiamsi in lege aut præcepto habeatur quod ipso facto, aut nulla expectata iudicis sententia incurratur. num. 64. An autem quis teneatur ante iudicis sententiam solvere poenam conventionalem contractui adjectam, quæ sit moderata, & non reprobata a lege, si culpabiliter fuit in mora notabili adimpletionis promissorum, probabile est aequaliter utrumque, nisi de mente contrahentium constet, taliter se voluisse obligare. num. 67.

91. Non tenetur legis transgressor, etiam post iudicis sententiam, ipse in se poenam exequi, ad quam condemnatus est, si poena sit ex illis, quæ reus in seipsum exequi nequit absque crudelitatis specie, ut est poena mortis, mutilationis &c. immo nec licite potest, nec iudex hoc ei præcipere potest; quia licet poena sit iusta, (ut supponitur,) quoad substantiam, esset tamen iniusta quoad modum. Potest tamen, & tenetur ad talem poenam indirecte concurrere ascendendo scalam, guttur applicando, manum secandam porrigendo. Tract. 21. cap. 2. n. 68. Tenetur etiam poenas prædictas a ministris illatas patienter sustinere; & quomvis ei liceat fugere, si possit; non tamen ut evadat eos vulnerare potest, sed ad summum terrere, ut ei fuga permittatur. n. 69. Poenas, quas potest reus in seipsum exequi licite, ut privata verberatio, jejunium, exilium, solutio pecuniæ, &c. tenetur subire, post ultimam iudicis sententiam definitivam, a qua appellare non debet, vel eam ullo juris remedio infirmare. Non tamen tenetur solvere pecunias, nisi petantur a parte; nec exulare nisi ei præcipiatur; & sic in aliis poenis similibus, nisi in sententia exprima-

matur, quod statim absque alio executionis mandetur. n. 70.

92. Reus negans in iudicio veritatem non tenetur solvere pœnas legis ante iudicis sententiam; tenetur tamen ad restitutionem, si sua negatione damnum inferat tertio. Peccat mortaliter iuxta gravitatem materiz iudex, qui non sit supremus Princeps legis conditor, si pœnas lege præscriptas reo non applicet, vel sine iusta causa augeat, vel minuatur. Tract. 11. cap. 2. nu. 71. 72. Si iudex qui non est supremus Princeps maiore pœna quam ea quæ a lege taxata est reum afficiat, ad restitutionem tenetur, pro ratione excessus, nisi delictum cum extraordinariis circumstantiis aggravantibus commissum sit; quia tunc iuste potest pœnam in lege statutam augere. Si iudex absque iusta causa pœnam minuat, vel remittat, etiam si pecuniaria sit, ad restitutionem in nullo casu tenetur. nu. 72. 76. Sine iusta causa non potest iudex semel latam sententiam reformare. n. 77.

93. Leges, sive præcepta, & sententiæ in falsa presumptione facti, seu quando præsumptio fallit, seu quando deest veritas presumptionis, præcio scandalo, minime obligant in conscientia; quidquid sit de foro externo. Quæ vero fundantur in presumptione juris semper obligant in conscientia, etiam si in hoc, vel illo casu veritas presumptionis deficiat. Duplex enim est præsumptio: alia præsuppositionis, alia distinctionis. Præsumptio præsuppositionis est quæ præsupponit damnum, seu periculum ac si vera essent, & hoc supposito procedit ad cavendum illud per leges; & dicitur etiam præsumptio periculi, vel præsumptio iuris; præsumit enim quod ut in plurimum accidit; ideoque non proprie sed late præsumptio dicitur. Præsumptio distinctionis est quæ iudicat, distinguit, & determinat ita esse vel in omnibus, vel in hoc singulari casu; & ex hac præsuppositione procedit ad aliquid decernendum; & dicitur etiam præsumptio facti. n. 78. 82. 83.

94. Potest legislator humanus sive Ec-

clesiasticus sive Civilis leges irritantes statuere, ita quod actus aliter facti, vel per legem prohibiti sint omnino nulli etiam in foro interiori. Tract. 11. cap. 2. n. 87. Irritatio alia est ipso facto seu late sententiæ, alia sententiæ ferendæ: alia explicita, ut cum actus expresse declaratur invalidus; alia implicita, ut cum aliqua solemnitas, seu conditio assignatur pro forma actus; quia forma dat esse rei. n. 88. Lex irritans alia est pœnalis, quæ scilicet irritat actum in odium transgressoris: alia non pœnalis, quæ irritat actum ob aliquod bonum commune, vel privatum. Lex irritans est semper odiosa, ideoque in benigniorem partem interpretanda. n. 89. Non hoc ipso quod lex prohibet actum, censetur illum irritare; quidquid in contrarium dicant iurista. n. 90. Quando in lege assignatur talis solemnitas pro forma, semper intelligitur de forma substantiali, sine qua actus irritus sit: sic quando lex concedit alicui ad hunc, vel illum actum facultatem, quam non habebat, ut ea utatur sub tali conditione, vel solemnitate: aut quando formam vel solemnitatem assignans, auferat facultatem aliter actum faciendi ab eo, qui alias talem facultatem habebat: in his casibus, actus contra legis præscriptum facti sunt irriti. n. 95. 96. Si solemnitas sub qua præcipitur actus habeatur in iure pro forma accidentali; tunc licet concedatur facultas, & præcipiatur quod tali forma servata fiat, intelligendum est, non aliter illam conditionem assignari, ac est in iure. Unde quando v.g. conceditur alicui facultas absolvendi a censuris Pontifici referatis satisfacta parte; si quis non satisfacta parte absolvat, absolutio tenet, quia in iure talis conditio habetur pro forma accidentali. u. 98.

95. Probabilis est in omissione formæ substantialis non dari parvitatem materiz. Tract. 21. cap. 2. n. 99. Non semper lex irritans obligat in conscientia, sed solum quando includit præceptum, vel ipsa materia est a lege execrata. num. 100. Si irritatio legis sequatur ad actum

actum iam factum, ob non servatam aliquam conditionem ab ipsa assignatam, non reddit actum irritum, sed irritandum per iudicis sententiam. Irritatur v.g. emptio, vel venditio non soluta gabella: etiam si hæc non solvatur, manet actus in suo robore, donec per iudicis sententiam rescindatur. n. 101. Si vero irritatio antecedit, vel concomitetur actum, & lex irritans non sit pœnalis (qualis est quæ in odium transgressoris statuitur,) sed pure irritativa, statim sortitur effectum: si vero sit pœnalis, quia scilicet in pœnam transgressionis, vel in odium delinquentis; & actus sit incapax delinquentis per iudicem faciendæ, statim sortitur effectum; si autem actus sit capax irritationis per iudicem faciendæ, ut sunt omnes contractus præter matrimonium, talis actus contra formam a lege irritante præscriptam factus, non censetur irritus nisi post iudicis sententiam. n. 102.

96. Probabilis est quod ommissio conditionis, aut solemnitatis requisitæ a lege ipso facto irritante reddat actum nullum non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiz. num. 104. Quando lex statuit pœnam contra facientes talem actum, qui per legem irritatur, intendens punire animum, seu temeritatem attentantis; tunc transgressor subiacet pœnæ, licet actus sit nullus. Secus dicendum quando lex solum intendit punire actum pravum, qui valide fieri potest; si aliqua ratio sit nullus, non subiacet pœnis assignatis: ideoque matrimonium clandestinum contrahere audeas, non incurrit pœnas ante Tridentinum statutas in iure, quia illæ late erant contra matrimonium contrahentes quod nunc non verificatur, cur, cum matrimonium clandestinum sit nullum. n. 105. 106.

97. Dubitans an sit lata talis lex, & promulgata, vel non, si adhibita diligentia debita adhuc remanet dubium, potest practice illud deponere, & seculo transire, aut alio inconvenienti contra talem legem operari. Idem dicendum si dubitetur an lex de qua certo

constat esse lata, se extendat ad hoc vel illud subiectum v.g. an lex imposita Regularibus comprehendat etiam Prælatos. nu. 110. Si constet de lege, & dubitetur an obliget, an abrogata fuerit: ad dispensatum in ea, verius est eam obligare. n. 112. Idem dicendum in dubio de eius acceptance, iustitia, aut utilitate. Tract. 11. cap. 2. n. 114. 115. 116. Si cum dubio de obligatione huius legis detur etiam dubium de alterius legis superioris obligatione, tunc possessio stat pro lege superiori: ut si esset dubium de obligatione jejunii, & dubium de gravi nocumento ex tali jejuniis, tunc possessio stat pro lege naturali. n. 111. In dubio de potestate legislatoris, scilicet an sit reus electus, an confirmatus &c. si non sit in pacifica possessione, licet certo constet de lege, possessio stat pro libertate: si vero sit in pacifica possessione tenetur subditus legem observare, nam possessio stat pro superiore. num. 118. Dubitans an impleverit legem, tenetur legem implere. num. 119. Dubitans an lex inceperit obligare, aut tempus quo obligare incipit advenit, non tenetur: dubitans vero an tempus obligationis præterierit, tenetur eam observare. n. 120. dubitans de mediæ noctis adventu, vel qui dubitat, an post mediam noctem aliquid per modum cibi sumperit, probabilis est ea die communicare non posse, quia possessio stat pro lege. n. 121.

98. Licet leges quæcumque utriusque non obligent cum periculo mortis, aut gravi damni, possunt tamen etiam cum gravi damno, & periculo multoties obligare, & quidem frequentius lex naturalis, & divina quam humana: immo legislator divinus, cum sit Dominus vitæ, possit etiam in omni casu cum tali periculo obligare. Tract. 11. cap. 2. n. 125. 126. Lex prohibens reum ab intrinseco malo, ut mentum, fornicari &c. obligat in omni casu, & cum periculo vitæ: quando autem materia legis solum est mala quia prohibita, sit regula generalis: Quotiescumque id quod præcipitur est utilius bono communi; vel

vel Religionis quam vita particularis subdit, non solum in genere, sed etiam hic & nunc, & in hoc casu particulari, iudicio prudentium, lex obligat etiam cum periculo vitæ: ideoque vi tempore obfidiōnis præcipit Dux militi, ut portam custodiat: Si tempore pestis Episcopus, vel superior subdito inungat ut ministrat infirmis, & Sacramenta largiatur, tenentur tales etiam cum vitæ periculo obedire. n. 127. 128. Illi quibus ex officio tale munus specialiter non incumbit, non tenentur quidem ante superioris designationem tali periculo se exponere, possunt tamen illud subire, cum dampnum commune, vel etiam particulare imminet; & generaliter loquendo, pro quocumque actu virtutis, nisi vita voluntarie se exponentis sit bono communi necessaria, potest vel periculo vitæ exponere: at si ejus vita esset bono communi necessaria, non liceret. n. 129.

99. Tenetur etiam quilibet legem observare, etiam cum vitæ dispendio quando ab aliquo cogitur contra illam agere ob contemptum, vel derisum legis, aut legislatoris, Religionis, vel alterius virtutis. Tract. 11. cap. 2. n. 130. Exceptis prædictis casibus nulla lex five naturalis, five divina, five humana obligat cum vitæ, aut gravis damni periculo. num. 131. Clausura monialium obligat etiam cum vitæ periculo, & dispendio, quia majoris est momenti ad bonum commune quam vita particularis; poterunt tamen exire in casibus a jure expressis cum licentia, & approbatione Episcopi. n. 133. 134. Si Carthusianus nullum alium cibum habeat, & fame mori deberet, tenetur carnes manducare. num. 135. At si alios cibos habeat, probabilis est obligari ad abstinentiam a carnibus, etiam cum periculo vitæ; in primo enim casu seipsum occideret; secus in secundo. n. 138.

100. Præceptum negativum non indiget actu ad sui observationem, præceptum vero positivum impleri non potest sine actu positivo voluntatis, quo saltem intendat facere rem præceptam.

Tract. 11. cap. 2. num. 139. Quare minime satisfaceret præcepto, qui simpliciter coactus per violentiam absolute talem, opus mandatum exerceret; exigitur enim actus liber, seu cum electione. num. 140. Qui vero libere simpliciter actum exhibet, licet metu gravi ductus eum exhibeat, implet præceptum; adest enim libertas sufficiens ad moralitatem. num. 142. Verus est etiam qui animo non adimplendi præceptum actum ponit, illud adimplere; peccat tamen graviter vel leviter pro qualitate præcepti, non quia illud frangat, sed propter animum pravum. nu. 145. Legitur intentio rei præceptæ, & modi intrinseci illius cadit sub præcepto; non autem finis per præceptum intentus: ideo missam audiens, jejunans &c. ex vanitate, aut alio pravo fine, licet peccet propter circumstantiam pravi finis, implet tamen præceptum. num. 148.

101. Potest extra materiam iustitiae per unum actum pluribus præceptis satisfieri, dummodo præcepta cadant supra eandem materiam. Tract. 11. cap. 2. num. 149. Quando ex diverso motivo mandatum procedit, regulariter distinctum exigit actum; nisi aliter constet de mente præcipientis; In dubio autem de ejus intentione sentiendum est velle novam obligationem imponere. num. 105. Quare si ex voto tenetur quis jejunare, & occurrat jejunium ex præcepto Ecclesie, itemque ex penitentia a Confessario imposita, non satisfaciunt semel jejunando, sed tribus diebus jejunare tenentur. Si quis vero ex voto, aut præcepto Ecclesie jejunare tenetur per mensam, & eo tempore jejunium imponeretur a Confessario, probabile est Confessarium, nisi aliud exprimat, nolle novum opus imponere, num. 151. Qui pluribus titulis, v. gr. ex voto, penitentia imposita, & ratione festi tenetur Missam audire, si ad has diversas obligationes non advertens rem præceptam apponit, censetur obligationi urgentiori satisfacere: sed si res divisibilis sit, ut si v. g. illis diversis titulis ad elemosinam unius Argentei teneris, censendus est

pro

pro rata cuilibet satisfacere. num. 152. Potest quis eodem tempore pluribus legibus satisfacere si actus compossibiles sint. num. 153.

102. Aliud est eximi ab obligatione legis, aliud a transgressione legis excusari manendo tamen sub illius obligatione. num. 158. Insuper quoad hoc, aliud est loqui de præceptis naturalibus, & aliud de positivis. Præcepta naturalia omni tempore, & loco obligant; ideoque nullum impedimentum ab illorum obligatione eximere potest. Præcepta vero juris positivi, & humani non omnes, nec omni tempore obligant, sed sub certa conditione: si non sis impeditus infirmitate &c., & sic per plura impedimenta potest quis eximi ab obligatione. Quale autem impedimentum pro quolibet præcepto sufficiat, propriis in locis statuetur. num. 160. Non peccat contra legem, qui animo se eximendi ab ea, impedimentum apponit; si hoc licite, si five illicite ex alio capite faciat. n. 164.

§. III.

De potestate ferendi leges, & de iis qui legibus subiciuntur.

103. Certissimum est, eum qui potestatem habet ferendi leges, posse eam alteri delegare: Hec autem potestas delegata pendet in omnibus ex mera delegantis voluntate. Tract. 11. cap. 3. num. 1. De Fide est dari in hominibus potestatem condendi leges civiles. Sola communitas a natura talem potestatem habet; Princeps vero a communitate, sive Republica: etenim electione Principis facta ab ipsa communitate, Deus illam potestatem, que in communitate erat, Principi largitur. num. 2. 3. 4. Pontifex non potest leges civiles sancire pro toto orbe, sed solum pro Provinciis sue temporalis ditioni subiectis. num. 5. Potest tamen abrogare, seu corrigere leges civiles ab aliis Principibus latis, si sint rationi, & equitati contrariæ: & poterit etiam leges civi-

les sancire, si ob negligentiam Principum in condendis legibus vitia grassentur. n. 6.

104. Imperator potest leges civiles condere non pro toto orbe, sed tantum pro Regnis, & Provinciis sibi aliquo modo subiectis, que scilicet vel immediate gubernant, vel que eum, ratione Feudi, aut alio simili titulo ut supremum Dominum agnoscunt. Tract. 11. cap. 3. num. 7. Quilibet supremus Princeps in suo Regno potest leges civiles ferre obligantes suos subditos in conscientia. n. 8. Regina proprietaria, aut gubernatrix Regni potest in eo leges ferre, si non sit conjugata: Immo etiam conjugata sit, potest secundum probabiliorem sententiam, leges ferre indubitato a marito; nisi fuo iuri renuntiaverit. n. 10. Denique hanc legesiarum potestatem habent omnes Civitates exemptæ, que supremum Dominum habent, ut Veneta &c. nu. 11. Civitates autem non exemptæ leges ferre non possunt, nisi ex consuetudine, privilegio, aut concessione Principis, cui subduntur, & appellantur leges municipales. n. 12.

105. De Fide est, in Ecclesia esse potestatem condendi leges Ecclesiasticas: & hanc potestatem reperiri in Summo Pontifice tanquam universalis capite, successoris D. Petri, & Christi Vicario, ab ipso Christo concessa pro tota Ecclesia, supposita electione in ipsum facta. Tract. 11. cap. 3. num. 13. 14. Omnes Apostoli poterant leges condere pro toto orbe, cum hoc tamen discrimine, quod Petro tanquam capiti talis facultas concessa est, ita ut transeat ad ejus successores cum omni sua plenitudine; ceteris vero Apostolis tanquam membris, ideoque pro seipsis tantum, non pro successoribus. num. 15. 16. Episcopi pro sua Diocesi possunt leges, & statuta positiva, & perpetua condere absque positiva, & expressa licentia Summi Pontificis, cum subordinatione tamen, & dependentia ab ipso: nihil tamen statueri possunt contra jus commune, vel circa reservata Summo Pontifici. num. 17. 18. 19. Eandem potestatem

Ratem habent Archiepiscopi, Primates, Patriarche in propriis Diocesis, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Legati in Provinciis sue Legationis, Abbates exempti habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Non possunt tamen Archiepiscopi, Primates, & Patriarche leges ferre pro Provinciis, vel Nationibus suffraganeis, nisi ex consuetudine, vel concessione summi Pontificis, num. 22. Autem Episcopi hanc potestatem immediate a Christo Domino recipiant, vel a Summo Pontifice, probabile est utrumque, num. 29. In Religionibus quoque datur facultas condendi leges perpetuas pro suis subditis, secundum proprium institutum, num. 23.

106. De Hæc est Concilia generalia legitime congregata, possunt leges condere totam Ecclesiam obligantes; hæc tamen leges quando Pontifex personaliter non interluit, non habent vim obligandi nisi quando a Summo Pontifice fuerint confirmata. Tract. 11. cap. 3. num. 24. Concilia quoque Provincialia, sive nationalia leges condere possunt perpetuas vim obligandi habentes pro sua Provincia, seu Natione: nec non & Concilia Synodalia pro sua Diocesi. Ut autem tales leges habeant vim obligandi, non indigent confirmatione summi Pontificis, num. 25. Si decreta Concilii Provincialis a Summo Pontifice confirmantur, & approbentur ut canonica, & pro tota Ecclesia, obtinent vim legis universalis: secus si approbentur tantum ut iusta, & minime iuri contraria, num. 26. Collegium Cardinalium non habet potestatem condendi leges, nisi ex speciali commissione summi Pontificis. Tempore autem sedis vacantis, solum statuere potest per precepta pro tunc obligantia ea quæ necessaria sunt pro futura electione, Ecclesie defensione, & periculis occurrentibus. Probabilis est, declarationes Cardinalium habent, licet magnam vim doctrinalem habeant, non habere vim legis, nisi accedente solemnè promulgatione, autoritate summi Pontificis facta, & exterius conditionibus legis, num. 27.

28. Capitulum vivente Episcopo leges ferre non potest sine illius consensu; sede vero vacante leges ferre potest, vim obligandi habentes, donec a successore Episcopo, vel ipso Capitulo iterum sede vacante, revocentur, num. 31. 33.

107. Illi legislatores, qui simul cum aliis, inter quos primas tenent, leges ferunt: ut Dux Veneris inter senatores, Metropoli inter Episcopos, Prælati in Capitulo, proculdubio leges a Senatu, Synodo, vel Capitulo respectively facultas servare tenentur. Tract. 11. cap. 3. num. 34. Supremus legislator tenetur leges a se latas observare videlicet, & in conscientia, quando materia est communis, & accomodata subditis, & superiori, & observatio ejus æque decet superiores & subditum, num. 37. Hæc obligatio non oritur directe, & immediate ex ipsa lege sed solum ex honestate, & decencia; decet enim superiorem exemplo suadere quod jubet: quare præcise scandalum, aut alio gravi damno, probabile est eum non peccare mortaliter si legem a se latam non observet, licet materia sit gravis, num. 42. Tenetur tamen sub mortali legibus a se latis taxantibus pretia rerum, & restituere debet quod contra eas accepit. Tenetur etiam legibus a se latis irritantibus aliquem contractum. Quod si contra suam legem irritantem contrahat; vel contactus ex utraque parte irritus erit, vel in ea dispensare censetur, & sic ex utraque parte validus erit, num. 44. Supremus legislator non tenetur vi coactiva proprias leges observare; ideoque non incurrit poenas in ipsis statutis, num. 45. Uxor legislatoris licet legibus illius ex vi subjectionis teneatur sicut alii subditi, tam quoad culpam, quam quoad poenam; tamen ex privilegio censetur quoad utramque rationem exempta, num. 46.

108. Non licet concurrere ad actiones alicujus contra legem, etiam si eas exercens ob ebrietatem, amantiam &c. excusetur a culpa; Quando non propter hoc est exemptus a lege. Ideoque peccat.

caret qui amantem aut puerum ante usum rationis moveret, incitaret, adjuvaret ad aliquid jure naturæ malum, v. g. furtum, blasphemiam, perjurium &c. Ad licet concurrere ad actiones illius, qui a lege eximitur, quæ alias contra legem sunt. Tract. 11. cap. 3. num. 48. 49. Pueri post usum rationis, qui regulariter septimo anno advenire censentur, tenentur ad omnes leges Ecclesiasticas, excepto præcepto communionis, ad quod decimo tantum, vel duodecimo anno tenentur; & præcepto jejunii, ad quod tantum vigesimo primo completo tenentur; & iis præceptis, quæ alio determinato tempore in ipsa lege assignato obligare incipiunt. In mortis tamen periculo ad communionem etiam pueri tenentur cum primum sunt capaces confessionis, num. 52.

109. Peregrinus, aut forensis accedens ad aliquem locum animo ibi perpetuo manendi, vel majore anni parte, tenetur legibus ejusdem loci; peregrini autem sunt, qui proprium ibi domicilium non habent. Tract. 11. cap. 3. num. 53. 54. 55. Si vero quis per modum transitus, ut per duos, vel tres dies tantum ibi commoraturus sit, licet tempore proportionato obligationi, v. g. integro die jejunii, non tenetur, num. 58. Limita tamen quoad leges assignantes condiciones; & solemnitates contractuum: & quoad leges quæ sunt etiam in ejus Territorio: item quoad leges, quæ sunt de jure communi, & in suo vigore in loco transitus, licet in proprio Territorio sint abrogatæ: insuper quoad poenas, quando peregrinus ibi delinquit contra jus naturale, aut commune; ibi enim puniendus est ubi delinquit: & quoad leges latis in commodum loci per quem transit; ut sunt leges de non aportandis mercibus; in omnibus enim his casibus tenentur etiam peregrini legibus locorum, per quæ transeunt, licet per modicum tempus ibi permansuri sint. Etiam vagi nullibi domicilium habentes, tenentur legibus locorum ubi actualiter morantur, n. 59. 60.

110. Absentes non tenentur legibus suæ Patriæ, etiam si sint de jure communi, dummodo ubi commorantur non obligent, vel sint abrogatæ. Tract. 11. cap. 3. n. 62. Idem dicendum etiam ex intentione se eximendi exierit a Patria, n. 63. Similiter legibus suæ Patriæ non tenentur in ea quidem existentes, sed in loco exempto a jurisdictione legislatoris, n. 64. Subditi tenentur legibus Territorii, licet extra existens, si intra illud delinquat, ut si per mandatarium ibi committat homicidium, incurret excommunicationem ibi latam contra mandantes. Etiam ratione rei sita intra Territorium subicitur quis legibus illius etiam extra existens, ut si lex prohibeat vendere aliquam rem, nisi sub tali forma; non poterit aliter eam vendere. Si delictum incipiat in Territorio, & extra illud consummetur, non incurritur poenæ in Territorio statuta, n. 65. Egressus a Territorio in die festo, & iturus ubi non est festum, non tenetur prævenire auditionem sacri, si adhuc in loco unde discedit sint alia missæ celebranda; nec tenetur expectare, si adhuc nulla sit celebrata: bene vero missam audire tenetur ante discessum, si post discessum nulla remaneat celebranda, n. 66. Si a loco ubi jejuniū obligat, eadem die quis ad alium locum eat, ubi non obligat, ante discessum carnis vesci nequit: quoad jentaculum vero duæ sunt opiniones probabiles; quarum una asserit sumi posse ante discessum, altera negat. Nos vero dicimus, quod si post meridiem discessurus est, sumere non potest; bene vero si ante meridiem: quia major pars trahit ad se minorem, n. 70.

§. IV.

De cessatione, abrogatione, & interpretatione legis.

111. Finit legis alius est intrinsecus, alius extrinsecus: iste est qui ab ipso legislatore intenditur; ille vero est honestas ipsius rei præceptæ, qui semper ad-

est, quando lex cadit super actus, qui præcisa lege sunt actus alicujus virtutis. Finis extrinsecus aliquando conjungitur cum intrinseco, ut quando materia legis est actus de se honestus; aliquando non conjungitur, ut quando materia legis est actus de se indifferens. Finis extrinsecus vel est unus tantum, & tunc est adæquatus: vel est multiplex, & tunc ex omnibus unus finis adæquatus coalescit. Tract. 11. cap. 4. n. 1. Cum lex finem intrinsecum intendit, ipsa durante, numquam cessat obligatio per hoc quod finis extrinsecus cesset. n. 2. Deficiente fine adæquato legis, vel in omnibus, vel in majore parte communitatis, ipso facto abique alia declaratione, abrogatione, aut contraria consuetudine, cessat ipsa lex. In dubio an finis adæquatus cessaverit, possessio stat pro lege. Si autem probabiliter judicis cessasse, potes contra legem agere. Si finis legis adæquatus non cesset absolute, sed pro aliquo tempore tantum: pro illo tempore cessat obligatio. Si materia legis divisibilis sit, & secundum unam partem cesset finis adæquatus, secundum hanc tantum cessabit obligatio. Quod si una pars ab alia nequeat separari, probabile est cessare legem in totam. nu. 3. 4. Probabilis est, quod cessante private fine adæquato legis in aliquo casu particulari, non cesset ipsa lex pro illo casu. At si cessaret contrarie, quia materia legis redderetur mala, vel vande dura, & difficilis, certum est tunc cessare ipsam legem etiam pro illo casu. n. 6.

112. *Abrogatio seu revocatio legis est ejus totalis ablatio, ac si nunquam lata fuisset.* In quo differt a derogatione, quæ est ejus ablatio solum in parte; & de utraque promiscue loquimur. Abrogatio alia est negativa, qua lex antiqua aboletur, abique eo quod nova sanctiatur: alia positiva, & quasi contraria, ut quando nova lex fertur, & antiqua abrogatur. Hæc positiva abrogatio alia est formalis, ut quando in lege de novo lata habetur expressa revocatio prioris legis; vel virtualis ut

quando id quod in priori jubebatur, in nova vetatur, vel e contra. Tract. 11. cap. 4. n. 9. Lex est iusta potest vel revocari, immo etiam licite iusta de causa. n. 10. 11. Abrogatio positiva promulgationem requirit ut alia leges; ad abrogationem vero negativam non requiritur promulgatio; convenit tamen quod ita notificetur ut possint subditi de ea cognitionem habere. n. 12. Lex generalis, & maxime si sit in jure inserta, censetur revocari, hoc ipso quod in nova aliquid impossibile præcipiatur. Excipe decreta Concilii generalis, quibus exigitur expressa derogatio; & etiam quando prior lex cum nova conciliari potest. n. 13. Per legem generalem non abrogatur lex specialis alicujus loci, nisi clausula expresse revocatoria talis legis apponatur: bene vero e contra, nam generi per speciem derogatur. n. 14.

113. Solum qui legem tulit, ejus successor, & qui in legislatorem habet jurisdictionem possunt legem latam abrogare. Nequit inferior in suo Territorio, in quo leges condendi facultatem habet, eas sancire, quæ sunt abrogatorie juris communis aut cum eo incompatibiles. Tract. 11. cap. 4. n. 15. 16. Inferior nequit legem a se latam abrogare, quando est a Superiore confirmata, & approbata ut propria ipsius superioris: (quæ approbatio dicitur substantialis) nec quando in approbatione additur clausula: si quid contra illam fiat nullum sit: aut alia æquivalens; nec quando lex lata a non habente facultatem eam ferendi confirmatur a superiore, quia tunc fit propria Superioris. n. 17. Episcopus potest, (raro tamen expedit) abrogare statuta, & leges Diocæsanæ synodi abique Cleri consensu; quia Clerus in Synodo Diocæsanæ non habet votum decisivum, sed tantum consultivum. n. 18.

114. *Interpretatio est verbi, vel sententiæ per aliud verbum clarior declaratio.* Alia est generalis, quæ fit a legislatore, & habet rationem legis, & dicitur interpretatio authentica, seu jurisdictionis: alia est doctrinalis, quæ fit a Doctoribus, quæ, nisi eam omnium Do-

ctorum consensio iustus probet argumentis, nullam ingerit obligationem Tract. 11. cap. 4. n. 19. Solum legislator, ejus successor, & qui in eos jurisdictionem habet legem authentice interpretari potest. n. 20. Interpretatio Doctrinalis a quovis viro docto juxta regulas, & sensum probatorum doctorum fieri potest. n. 22. Si tamen lex ipsa interpretationem vetet, non licebit alicui Doctori illius interpretatione ex professo suscepta, & typis mandata: de hac enim tantum consuevit intelligi prohibitio. n. 23. Pro recta legis interpretatione quatuor regulæ assignantur. 1. Quod legislatoris mens attendatur. 2. Ad ejus mentem investigandam, legis materia cum circumstantiis antecedentibus, & consequentibus consideranda est. n. 24. 26. Tertia. In dubio de mente verba in proprio sensu accipiantur: ex quo sequitur legem generaliter, & indefinite loquentem non debere restringi, nec aliquem casum excipi, nisi sequatur inconveniens. n. 27. 28. Si lex est præceptiva aut pœnalis, quæ non est amplianda sed restringenda, verba debent accipi in sensu proprio, & naturali, si vero sit favorabilis, etiam sensus civilis attendi solet, juxta illud, favores sunt ampliandi. Sensus autem proprius & naturalis ille dicitur, qui ex communi hominum impositione, & acceptance verbis convenit. Civilis vero est sensus proprius artis politice, qui per fictionem juris verbis convenit: ideoque in hoc sensu sub nomine filii venit etiam adoptivus, & sub nomine mortis etiam profectus Religiosa continetur. n. 29. 30.

115. Quarta regula est: In dubio de valore actus potius interpretanda est ut actus valeat, quam ut pereat: & quod in favorabilibus regulariter lex amplietur, in odiosis restringatur, servata tantum proprietate verborum secundum latitudinem significationis civilis, seu naturalis. An autem lex sit odiosa, vel favorabilis colligendum est ex primario legislatoris motivo; & ideo si de primario intendat per eam beneficiare, est favorabilis, si vero de primario inten-

dat onus imponere, erit odiosa. Lex ergo si fieri potest, quoad odia restringi debet, & quoad favores ampliari: quod si fieri non possit, lex favorabilis absolute amplianda est quoad omnia, odiosa vero absolute quoad omnia restringenda. Tract. 11. cap. 4. n. 31.

116. Cum plures dentur casus, ad quos lex non extenditur, licet detur similitudo rationis; sciendum est quod similitudo rationis est quid diversum ab identitate rationis. Similitudo fundatur in diversis rationibus; quarum altera alteri similis est, sed non eadem; identitas vero tunc datur, cum non tantum similis, sed prioris eadem ratio currit, tam pro casu in lege expresso quam pro non expresso. Tract. 11. cap. 4. n. 32. Lex regulariter non extenditur ad casus non expressos, in quibus similis tantum ratio currit, bene vero ad eos, in quibus eadem adequate ratio currit, nisi de mente legislatoris oppositum constet. Si ratio sit eadem, sed non adequate ob aliquam disparitatem, ad talem casum non extenditur. n. 33. 34. Dicitur extensio propter identitatem rationis patet exempla: 1. in correlativis, ut sunt maritus & uxor; dominus, & servus; pater, & filius: 2. in equiparatis, ut sunt electio, postulatio, presentatio &c. 3. in connexis, & in contentis sub alio, vel illi subordinatis, ut sunt pars, & totum; perfectum, & imperfectum. Quare si eximitur maritus ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ; eximitur etiam uxor ab obligatione reddendi viro adultero. Cui conceditur facere testamentum, conceditur etiam facere codicillum: cui conceduntur carnes, conceduntur etiam lacticia, &c. n. 35. 36. Quando lex agit de persona particulari, non quia ad illam velit restringere dispositionem, sed exempli gratia; tunc extenditur etiam ad alios casus, in quibus eadem, vel similis ratio currit, & maxime si talis dispositio sit inserta in corpore juris. n. 37. Judex in ferendo sententiam, si non habeat jus particulare in casu occurrente, debet judicare ut in similibus. n. 38. Lex pœnalis

nalis etiam sit preceptiva, non debet extendi ad casus non expressos, quamvis similis, vel eadem ratio currat; quia poena cum sit odiosa restringi debet. n. 39.

117. *Epikeja est quedam emendatio legis, & exceptio casus particularis ob circumstantias, quae si cognoscerentur a legislatore, illum exciperet.* Ea quilibet uti potest, cum necessitas exigit. In dubio an in tali casu detur locus epikejae, ea uti non licet, quia possessio stat pro lege. Si vero sit probabile dari locum epikejae, ea uti licebit. Tract. 11. cap. 4. n. 41. Ut detur locus Epikeje non sufficit quod deficiat lex negative, quia nimirum deficit finis; sed debet deficere contrarie, ita quod reddatur lex gravior damnosa, & onerosa bono communi, vel etiam particulari: possum enim negare enssem apud me depositum ei, qui me eodem, occidere velit. Non solum habet locum virtus epikejae, respectu legis humanae, sed etiam respectu legis naturalis, & divinae: ut patet de David comedente panes propositionis; De Machabaeis pugnantibus die sabbati, ob defensionem vitae; De occidente in valorem vitae cum moderamina inculpatz tutelae. n. 42. 43. 45.

s. V.

De dispensatione in legibus.

118. *Dispensatio est juris alicujus relaxatio ab habente legitimam potestatem facta.* Tract. 11. cap. 5. n. 1. Alia est totalis, alia partialis: illa tollit omnino obligationem; haec vero solum quoad partem. n. 8. Insuper alia est tacita, seu virtualis, quae scilicet ex indicis, & conjecturis sufficientibus colligitur; alia expressa, quae verbis, aut etiam signis evidentibus exhibetur. Dispensatio est stricte interpretanda; ipsa vero dispensativa potestas, etiam delegata, est late interpretanda n. 10. Igitur licet simplex licentia, quae secundum legem requiritur ad aliquid, sit extendenda ad licentiam praesumptam, sive de praesenti, si-

ve de futuro, sive absolutam, sive conditionatam, non enim est juris vulneratio, sed impletio: dispensatio tamen cum sit juris vulneratio, & odiosa, extendi non debet ad dispensationem praesumptam de futuro, sed requiritur praesumptio voluntatis de praesenti, vel de praesentio: nec sufficit quod probabiliter judicetur superiorem dispensaturum, si scierit, vel gratum habiturum cum sciet. n. 12. 14. Si superior videat subditum contra legem agere, & taceat, nec contradicat, cum facile, & sine incommodo possit, censetur tacite, & virtualiter dispensare. n. 15. At si taceat, quia difficile sit retrahere a transgressione, vel ad evitandum majus malum, tunc non censetur tacite dispensare, sed permittive se habere. n. 17.

119. In primis principiis juris naturalis, ut: *Bonum est faciendum &c. Quod tibi non vis fieri &c.* & in illis praecipis quae versantur circa objecta ita intrinsece mala, quod numquam possunt denudari a malitia, ut odium Dei, blasphemia &c. nec ulla creatura, nec ipse Deus sive directe, & proprie, sive indirecte, & improprie dispensare potest. In reliquis praecipis naturalibus, seu Decalogi solus Deus potest non quidem directe, & proprie, sed indirecte, & improprie dispensare, mutata scilicet eorum materia, & circumstantiis; ut in furto, homicidio, fornicatione &c. Tract. 21. cap. 1. n. 23. Nullus tamen homo, nec ipse Summus Pont. potest licet indirecte in eis dispensare, nisi in eorum materiam habeat potestatem dominativam; vel ad hoc specialiter Dei concessionem obtinuerit, quam tantum pro matrimonio rato & voto; Summo Pontifici datam, concors Doctorum sententia tenet. Potest tamen Summus Pont. declarare, quibus in casibus alicujus praecipi naturalis obligatio deficiat. ibid. n. 23. In praecipis quae non sunt de jure naturali, sed tantum de jure positivo divino, ut praecpta de constitutione, & usu Sacramentorum, potest Deus propria voluntate dispensare; homines vero non nisi ex speciali Dei concessionem, quae

de facto nulli Principi vel Praelato, Summo Pontifici inferiori, facta fuit: Immo in probabiliore sententia nec ipsi Summo Pontifici. Tract. 11. cap. 5. n. 23. 24. 26.

120. Potestas dispensandi alia est ordinaria, quae alicui competit ex vi sui muneris, & officii; alia delegata quae scilicet alicui competit ex concessione ordinariam habentis. Tract. 11. cap. 5. num. 28. Omnis qui legem tulit, ejus successor, & qui in hos jurisdictionem habet possunt in lege de potestate ordinaria dispensare. num. 29. Quare Summus Pontifex de potestate ordinaria, dispensare potest in omnibus legibus canonicis, & Ecclesiasticis a quocunque editis, exceptis illis, quas Apostoli a Christo Domino acceptas tradiderunt, ut sunt quae pertinent ad materias & formas Sacramentorum. num. 30. Episcopus, Archiepiscopus, & Patriarcha in omnibus legibus Episcopalibus, & statutis Dioecesanis Synodi; non tamen in legibus Concilii Provincialis, quia sunt inferiores ipso Concilio, & ad ejus leges observandas vi coactiva tenentur. num. 31. 33. 34. Potest legislator in propriis legibus dispensare, etiam si eas juramento firmaverit; quia tale juramentum habet subintellectam conditionem aequitatis, scilicet: nisi justa causa intervenerit. Si tamen lex sive confirmata, sive non confirmata juramento, transierit in contractum, vel commodum alterius, in ea dispensare non poterit. num. 35. Capitulum, sede vacante, dispensare potest in omnibus, in quibus potest Episcopus: non tamen Vicarius Generalis nisi ab Episcopo expresse facultatem habeat. n. 32.

121. Si superior sibi reservaverit legum dispensationem, nullus inferior sine illius licentia tacita, vel expressa poterit in eis dispensare. Tract. 11. cap. 5. num. 36. Quando lex superioris absolute dispensationem permittit, licet dispensatorem non designet, tunc inferior potest in ea ex justa causa dispensare. num. 37. In rebus parvi momenti, & in frequenter occurrentibus, ut in jeju-

niis, esu ciborum veritorum, observatione festorum, recitatione Officii, votis simplicibus non reservatis; in legibus Pontificiis, non pro tota Ecclesia, sed pro aliqua Provincia, Civitate, aut Communitate; in casibus in quibus non est facilis recursus ad superiorem, & periculum est in mora; item in quibus est consuetudo introducta, quod inferior in lege superioris dispenset: in his omnibus, juxta dicenda in propriis locis, censetur a superiore concessa facultas dispensandi inferioribus Praelatis jure ordinario; quae facultas eis competit ex vi muneris, & officii, & est perpetua. num. 38. 39. 40. Probabilius est non posse inferiorem in lege superioris dispensare, per hoc solum quod talis dispensatio reservata non sit; nisi ex aliis capitibus, prout supra, illi competat talis facultas. n. 43.

122. In casibus dubiis, sive dubitetur de necessitate dispensationis, sive de sufficientia causae ad dispensandum; sive dubium sit positivum, sive negativum, potest inferior in lege superioris dispensare, tum quia casus dubius non censetur reservatus, tum etiam quia similia dubia frequenter occurrunt. Immo si dubitetur, an in casu occurrente sit necessaria dispensatio, & dubium positivum sit, nempe cum probabili opinione, quod non sit necessaria, potest subditus, eam sequendo, absque ulla dispensatione contra legem agere; idemque probabilis dicendum, etiam si dubium sit negativum; consultus tamen erit in hoc casu Praelatum adire, ut declarat legem ad talem casum non extendi. Ex dictis patet, imprudenter agere Praelatos, qui subditos dubitantes an teneantur Officium recitare, jejunare, a carnibus abstinere, suae conscientiae recumbunt, quando sunt literati, ut secundum eam operentur, quia subditi in dubio de causa excusante, contra legem agere non possunt, nam lex possidet; ipsi vero Praelati possunt dispensare; ideoque consultus est vel observantia injungere, vel eos dispensando sublevari. Tract. 11. cap. 5. num. 45. 46. Si

vero dispensatio sit debita, sive non; sive ab inferiore, sive a superiore impendatur, potest cum illa commutatio coniungi, & pro opere præcepto aliud opus pium subrogari, licet hoc non sit necessarium. Debet autem in tali casu opus subrogatum fini legis esse proportionatum. nu. 48. 49.

123. Potestas dispensativa delegata, alia est officio, & dignitati ex iure annexa; & hæc ordinariæ æquiparatur: alia est ab homine, quæ adhuc subdidit; nam alia est per modum puræ commissionis, & in favorem certæ causæ, vel personæ, & hæc expirat morte concedentis, si res sit integra, & non inceptum iudicium; alia per modum gratiæ, & in favorem delegati, quæ si absolute conferatur, non expirat morte concedentis. Tract. 11. cap. 5. num. 50. Qui habet potestatem ordinariam dispensandi, potest eam aliis delegare, ut ea utantur juxta formam a delegante præscriptam: quod etiam verificatur in casibus, in quibus potest inferiori iure ordinario in lege superioris dispensare, nisi talis potestas inferioris sit limitata, sive privative alligata ejus personæ, & dignitati, ut per se ipsum tantum, non vero per alios possit dispensare. num. 51. Delegatus, si potestatem pure delegatam obtineat, non potest eam subdelegare. Excipe delegatos a Summo Pontifice, vel ab alio Principe supremo, qui possunt aliis subdelegare, in iis quæ sibi expresse non prohibentur a superiore. Excipe etiam delegatos a quocumque superiore ad universalitatem causarum. num. 52.

124. Potestas dispensativa sive ordinaria, sive delegata est ample interpretanda, nisi cedat in grave præjudicium alterius, vel nisi sit in gratiam dispensati, vel concedatur delegato in ordine ad determinatam personam, cum qua dispenset; quia tunc est stricte interpretanda. num. 52. Dispensatio ipsa est odiosa, & ideo stricte interpretanda, exceptis dispensationibus motu proprio a Principe expeditis, vel in corpore iuris insertis, vel concessis communitati per-

sectæ, vel ob bonum publicum, vel quando dispensatio est debita; vel denique quando nisi ampliatur, redditur frustranea; aut si dispensetur in aliquo genere, ut fiat extensio ad partes, ex quo sequitur quod dispensatus ad faciendum testamentum; censeatur dispensatus etiam ad faciendum codicillum, qui se habet ut pars sub testamento contenta. num. 54.

125. Dispensatio solum in subditis potest exerceri: & sic Episcopus respectu secularium, & Religiosorum non exemptionum; respectu vero exemptionum, Generalis, Provincialis, & Superioris locales, & in horum absentia Vicarii dispensare possunt in casibus, in quibus inferior in lege superioris dispensare potest. Unde possunt dicti Prælati Regulares, ex justa causa, cum suis subditis Religiosis dispensare circa jejunia Ecclesiæ, cibos vitatos, recitationem Officii &c. & multo magis circa Regulam, & Constitutiones, nisi talis dispensatio sit specialiter Superioribus reservata: dummodo non cum tota communitate dispensent, & dispensatio perpetua non sit. Tract. 11. cap. 5. num. 55. 56. Potest legislator, & quicumque alius habens facultatem dispensandi cum aliis in lege, voto, aut juramento, etiam secum dispensare non solum indirecte dispensando cum communitate, sed etiam directe, & immediate. num. 59. 60.

126. Ille qui legem tulit, ejus superior, ejusque successor potest sine ulla causa in sua lege valide, sed non licite dispensare, etiamsi fuerit juramento firmata; nam juramentum reddit illicitam talem dispensationem, non tamen invalidam: Probabilius autem est non peccare mortaliter, precioso scandalo, aut alio damno extrinseco, & seclusa juramenti confirmatione. Extenditur autem secunda pars assertionis etiam ad potentem talem dispensationem, quia inducit ipsum legislatorem ad peccandum; nec non ad ipsum legislatorem se sine justa causa dispensantem, & dispensatione utentem, quia ipsam & potest,

test, & tenetur revocare. Dispensatio a legislatore sine causa concessa utens, in probabiliore sententia, nec peccat venialiter. Tract. 11. cap. 5. num. 63. 64. 66. 69. Dispensatio data ab inferiore in lege superioris sine justa causa est invalida, & ex genere suo est peccatum mortale tam quoad dispensantem, quam quoad tali dispensatione scienter utentem. num. 70. 71. 72.

127. Triplex causa datur in ordine ad dispensationem; alia per se exitens ab obligatione legis, quæ si certo adfit, vel probabiliter iudicetur adesse, non opus est dispensatione; si vero de ejus existentia dubitetur, datur locus dispensationi: alia non quidem sufficiens ad eximendum, bene vero ad dispensandum: alia denique necessitans Superiorem ad dispensandum. Tract. 11. cap. 5. num. 73. Causa sufficiens ad dispensandum illa est, quæ habet proportionem cum lege: ideoque gravior pro gravioribus legibus, levior pro levioribus requiritur. Ipsa etiam dignitas personæ petentis, offensio quoque liberalitatis, vel benignitatis personæ concedentis sunt multoties causa sufficiens. Attendenda est etiam pietas, utilitas, & necessitas dispensationis. num. 74. In dubio de existentia causæ sufficientis potest legislator valide, sed non licite dispensare; inferior vero nec valide nec licite: in dubio autem de sufficientia causæ, quæ certo adest, valida, & licita est dispensatio, data a quocumque dispensandi facultatem habente: possessio enim, in hoc casu, stat pro potestate dispensativa. Verum tamen est, quod si dubitans de existentia causæ, vel sufficientia illius, rem totam ut est exponat superiori, ipso dispensante tutus erit in conscientia. nu. 75. 76. Ad dispensandum non requiritur judicialis causæ cognitio, sed sufficit privata. Illicite procedit dispensans, si iudicans causam non adesse, etiamsi re ipsa adfit, dispensationem concedat; & potest talis dispensatio revocari. Probabilius est quod si vere causa subsistat, etiamsi su-

Pars I.

perior quicumque ille sit, mala fide procedat absque cognitione causæ, valeat dispensatio, eaque tuta conscientia nisi potest dispensatus, donec revocetur. n. 79.

128. Quando petitur dispensatio ad evitandum damnum publicum, vel privatum alicujus personæ, spirituale, vel temporale magni momenti; vel quando est valde utilis bono communi, vel privato, quod prædandatur in communi; vel quando a superiore præcipitur inferiori ut dispenset; tunc est debita dispensatio, & peccat eam denegans graviter; vel leviter juxta qualitatem materiæ; nequit tamen subditus, denegata licet injuste dispensatione, agere contra legem, nisi causa sit talis quæ cum extima ab observatione legis. Tract. 11. cap. 5. num. 81. Dispensatio solis verbis concessa, sed absque animo concedendi, est nulla, tamen nisi constet, non est præsumendum animum dispensandi defuisse. num. 82. Dispensatio per metum extorta valida est; & si supposita causa sufficiente, metus iuste incutiatur, erit & licita. num. 83. 84. Dispensatio obtenta per dolum, si dolum sit circa causam motivam, & finalem, semper est nulla, & subrepticia. num. 85. Quæ autem sit causa motiva, & quæ impulsiva. V. Tract. 15. num. 83.

129. Ob cessationem causæ non solum impulsivæ, sed etiam motivæ adequatæ certum est non cessare dispensationem commutativam, neque eam quæ data est cum onere vel compositione pecuniæ, vel ob remunerationem meritorum. Quod si derisus iusta causa eam revocandi, restituenda est pecunia, & aliunde præmianda merita; & tunc valide, & licite poterit revocari. Tract. 11. cap. 5. num. 86. Certum est in super dispensationem etiam simplicem, postquam suum ultimum effectum sortita est, non cessare vel per cessationem causæ, vel per revocationem superioris, vel per renuntiationem dispensati: immo nec iste renunciare, nec ille revocare potest. Dispensatio vero ante-

F

quam

quam suum sortiatur effectum tripliciter cessare potest: per cessationem causæ, per revocationem, & per renunciationem. n. 87.

130. Certum est ob cessationem causæ impulsivæ, non cessare dispensationem. Tract. 11. cap. 5. num. 88. Cessante causa motiva etiam totali, & adæquata, non cessat dispensatio absolute, & absque conditione, aut restrictione concessa. Censetur autem absolute concessa quando causa dispensationis prudenter judicatur perpetua; licet per accidens cessare possit. nu. 90. 91. Quando vero causa non judicatur perpetuo duratura, tunc censetur sub conditione, & limitate concedi. Sicut etiam quando ex circumstantiis, vel stylo, & usu communi, & acceptione Doctorum, colligitur esse pro determinato casu concessa. num. 93. 94. Dispensatio absolute concessa, etiam si res integra sit, & nondum inceptum iudicium, non cessat morte concedentis, quicumque ille sit. nu. 95. Si vero non fuit absolute concessa, & res non sit integra: vel concessa sit cum clausula: donec revocetur, vel ad Episcopum, vel sedis beneplacitum, non cessat morte concedentis. n. 96.

131. Dispensationem valide, sed absque causa datam potest dispensator, (nisi nova causa emergat,) valide, & licite revocare, immo & debet; quia etiam si ex iusta causa concessa fuerit, potest eam ob novam causam emergentem & valide, & licite revocare; sine nova vero causa, valide, sed non licite: erit autem tantum peccatum veniale, præcisio scandalo, aut gravi damno alterius. Tract. 11. cap. 5. num. 97. Inferior nequit dispensationem a superiore concessam revocare: Superior vero potest revocare dispensationes ab inferiore datas, illicitè tamen, si iusta causa desit, & graviter vel leviter iuxta gravitatem materiæ, vel damni ex revocatione secuti, peccabit. Inferior dispensationem a se datam in lege superioris, iusta de causa & valide, & licite revocare potest. Si autem iusta causa desit, invalida erit revocatio. n. 98. 99.

132. Cessat denique dispensatio per renunciationem a dispensato factam, quam posse & licite, & valide facere non secuto effectu, certum est, nisi cedat in damnum alterius; vel nisi dispensatio sit facta communitati, cui particularis persona renunciare nequit; vel nisi superior, qui ex iusta causa dispensavit, præceperit subdito usum dispensationis. Tract. 11. cap. 6. num. 100. Renuntiatio dispensationis vel est tacita, vel expressa. Tacita est quando ex sufficientibus signis colligitur esse in dispensato voluntatem cedendi favori; quia sine tali voluntate nulla est renunciatio sive signis, sive verbis expressa. Expressa est, qua verbis sufficientibus favoris cessio declaratur. Consummata renunciatione sive tacita, sive expressa per notificationem cessionis, ipsi dispensatori pro parte dispensati facta, & ab ipso acceptata, non licet amplius dispensato ea uti, contra legem agendo. nu. 101. Probabilis est, non utrum dispensationis, vel non acceptationem illius, vel etiam usum contrarium non esse signa sufficientia tacitæ renunciationis. num. 102.

S. VI.

De consuetudine.

Consuetudo est jus quodam moribus institutum, quod pro lege habetur, ubi desit lex. Tract. 11. cap. 6. num. 1. Alia est contra legem: alia secundum legem: alia præter legem. Dissert a stylo, quia hic solum refertur ad actus judiciales, consuetudo vero ad omnes actiones. Dissert a præscriptione, quia consuetudo respicit omnes; præscriptio vero est etiam respectu particularium; consuetudo parit legem, præscriptio vero dominium; consuetudo exigit tacitum, vel expressum consensum eius, contra quem introducitur, non vero præscriptio: & in nonnullis aliis. num. 3. Consuetudo alia est Ecclesiastica, alia civilis. Tunc est Ecclesiastica quando est circa actiones ordinatas ad finem spi-

spiritualem; tunc vero civilis, quando est circa actiones ordinatas ad bonum politicum, & civile. num. 4. Privata persona nequit consuetudinem introducere, sed sola communitas capax gubernari per leges; debet autem introduci a majori parte communitatis. Consuetudo abrogativa legis debet introduci ab his, qui legem observare tenentur. n. 5, 7, 8.

134. Quinque sunt conditiones consuetudinis legitime introductæ: 1. quod sit rationabilis, ideoque utilis, & conveniens bono communi; si enim irrationabilis sit, non est consuetudo sed corruptela: 2. Quod sit ex frequentatione publica actuum liberorum, vel omissionum eorum: 3. Quod duret per longum tempus: 4. Quod adit Principis consensus: 5. Quod actus non fiant ex sola devotione, sed animo introducendi jus per modum legis. num. 9. Contra jus quodcumque Divinum & naturale, nulla prævalere potest consuetudo, quæ vere sit talis. num. 11. Ad introducendam consuetudinem, non requiritur bona fides. num. 12. Consuetudo triplicem habet statum; inceptio; progressus, & præscriptionis. In statu inceptiois peccant introducetes consuetudinem contra legem; in statu progressus non peccant qui iam introductam sequuntur, possunt tamen puniri: in statu præscriptionis ea utentes nec peccant, nec penis subiunguntur. num. 13. Consuetudo præter legem, hoc ipso quod a maiore parte observetur, rationabilis censenda est, nisi oppositum constet. Quando autem consuetudo contra legem sit rationabilis, iudicio prudentum iudicandum est: in dubio autem iusta reputanda est. In dubio an consuetudo, quæ non solum est contra legem, sed etiam ab ipsa lege prohibita, sit rationabilis: per lege iudicandum. num. 14.

135. Ut consuetudo præter legem, vel etiam contra legem Civilem præscribat, sufficit decennium; contra legem vero canonicam probabilis est requiri 40. annos. Tract. 17. cap. 6. nu.

16. 17. Dicitur unius Doctoris eximii asserentis, iam consuetudinem præscriptivæ, sufficit ut lex abrogata censetur, nisi clare constet oppositum. num. 18. Tempus requisitum ad consuetudinem præscribentem debet esse moraliter continuatum. num. 19. Actus per quos introducenda est consuetudo debent esse liberi, frequentes, & publici, nu. 20. 24. Durante ignorantia legis nunquam introducitur consuetudo, nec legis obligatio abrogatur; ideoque consuetudo introducta ex falsa præsuppositione legis, quæ de facto non extat, statim ac constat, rem non ita esse, omnem vim obligandi amittit. num. 25. Ad consuetudinem non requiritur actus esse notorios, notorietate juris: sed sufficit notorietas facti. num. 27. Animus introducendi jus consuetudinariam debet durare toto tempore ad præscriptionem requisitum, & non solum in aliquibus, sed in maiore parte communitatis; obligabit autem consuetudo graviter, vel leviter, ad culpam, vel ad penam, vel ad utramque, iuxta introducendum intentionem. n. 28.

136. Ex sola devotione, urbanitate, vel liberalitate, licet per multum tempus duret actuum frequentia, nequit introduci consuetudo. Cognoscitur autem consuetudinem introductam esse animo obligandi ex gravitate materiæ, ex uniformitate non interruptè observantiæ, si superiores puniant, ac reprehendant contrascentes, & ex eo quod timorati scandalizentur de non observantibus eam. In dubio an ex devotione, iudicandum est fuisse ex devotione. In dubio an fuerit animus fidei obligandi sub gravi, vel levi, pro benigniore parte interpretandum est. Tract. 11. cap. 6. n. 29. 30. Non requiritur consensus Principis expressus, sed sufficit tacitus. Hoc ipso quod Princeps consuetudini resistat, hæc præscribere nequit: & ideo quia quotannis, improbat in Bulla cœnæ omnis contraria consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam: hinc est quod contra eam nulla consuetudo prævalere potest.

test. num. 31. 32. Ad consuetudinem introduendam non requiritur quod Princeps de ea in specie notitiam habeat, sed fufficit generalis consensus in omnem consuetudinem legitime introductam. n. 33.

137. Triplicem effectum habet consuetudo legitime introducta: Obligare in conscientia: tollere legem antiquam: interpretari legem dubiam, Tract. 11. cap. 6. n. 34. Non extenditur consuetudo de loco ad locum, de persona ad personam, de casu ad casum. Quare consuetudo unius civitatis non extenditur ad aliam: consuetudo a Laicis introducta non transit ad Clericos: introducta a secularibus non afficit Regulares. n. 36. Potest consuetudo tollere legem quoad poenam, ea manente, quoad culpam, & e contra; si lex sit talis conditionis quod possit esse mere penal. num. 40. Potest etiam tollere leges irritantes actus. num. 41. Consuetudo tollit etiam legem prohibentem contrariam consuetudinem. Pro quo notandum, consuetudinem posse tripliciter prohiberi: 1. per clausulam; Non obstante quacumque consuetudine: Quæ cum intelligi debeat de consuetudine jam introducta, poterit ea lex per novam consuetudinem tolli, 2. per clausulam expresse prohibentem futuram consuetudinem: ut si v. g. dicatur: quod nulla possit deinceps contra talem legem prevalere consuetudo. Sed hoc non obstante adhuc probabilius iudicamus, posse consuetudinem contra talem legem prevalere; quia talis clausula est legis humanae, sed consuetudo tollere potest legem humanam, ergo etiam talem legem. 3. per clausulam reprobandam contrariam consuetudinem, ut repugnantem iuri divino, aut naturali; & sic contra talem legem nulla potest prevalere consuetudo: similiter si reprobetur ut irrationabilis, non prevalere donec rationabilis fiat. num. 44.

138. Interpretatio legis dubiæ per consuetudinem facta, alia est authentica, & est quæ habet quinque conditiones assignatus, & consequantur vim legis; alia

probabilis, & doctrinalis; scilicet cum plures ita legem per consuetudinem practice interpretantur; & hæc non habet vim legis. Legem dubiam non interpretatur consuetudo, quæ est contra vel præter legem, sed quæ est secundum legem. Tract. 11. cap. 6. n. 45. 46. 47. Ad consuetudinem doctrinaliter interpretantem minus temporis requiritur, quam ad consuetudinem authentice interpretantem. n. 48.

139. Per novam legem tollitur consuetudo clare, & ex diametro opposita, quantumvis præscripta, firmata, & roborata. Hinc sequitur, per legem generalem non tolli consuetudinem specialem jam præscriptam alicuius loci, vel Provinciae, nisi in ea fiat specialis mentio dictæ consuetudinis, vel ponatur clausula revocatoria cuiuscumque consuetudinis contrariæ. Nec per legem specialem pro tali loco, vel Provincia latam, censetur revocari consuetudo specialis eiusdem loci, vel Provinciae illi contraria, nisi de ea fiat mentio, donec Princeps notitiam illius habeat. Tract. 11. c. 6. n. 50. 52. 53. Per generalem revocationem cuiuscumque consuetudinis non revocatur consuetudo immemorabilis, nisi specialiter exprimat. n. 55. Sicuti lex per aliam legem abrogatur, ita consuetudo per aliam consuetudinem oppositam directe, nempe universalis per universalem, particularis per particularem; nam per particularem non tollitur contraria generalis, nisi pro illo loco particulari. n. 56. Non tollitur consuetudo jam præscripta, nisi per actus positive, vel saltem privative contrarios precedenti consuetudini. n. 57.

TRACTATUS II.

De primo Decal. præcepto

PROŒMIUM.

1. **P**ost traditam doctrinam de legibus in communi, convenienter in

in sequentibus de legibus in particulari agendum est, & præcipue de Decalogo, qui est aliarum legum summa, & Epitome. Decalogus est lex naturalis, & divina decem præceptis comprehensa, digito Dei in duobus tabulis scripta, & per manum Moysi Populo Hebræorum data. Per hæc decem præcepta recte ordinatur homo ad Deum, & ad proximum suum. Ad Deum quidem per tria priora præcepta, ad proximum vero per alia septem. Verum quia ad primum Decalogi præceptum pertinent & prima principia juris naturalis, & ipsæ virtutes Theologales: & quia secundum August. etiam Fide, Spe, & Charitate colitur Deus, a virtute Fidei Decalogi explanationem exordiemur. Tract. 21. Proem. cap. 1. n. 1. 11. & cap. 2. in Proem.

C A P U T I.

De Fide, & vitiis oppositis.

S. I.

De essentia, & necessitate Fidei.

1. **Fides**, secundum Apostolum, est *spevandorum substantia verum argumentum non apparentium. Eam moderni definiunt Fides est habitus, quo firmiter assentimur veritatibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia præpositis.* Tract. 21. cap. 2. num. 1. Objectum Fidei materiale, seu formale quod, & adæquatum est solus Deus; aliæ vero veritates revelatæ; sunt objectum secundarium. Objectum formale quo, seu ratio sub quâ formalis est prima veritas obscure revelans. num. 2. Fidei subiectum est intellectus. Duplex est Fides, alia perfecta, seu informata Charitate: alia imperfecta seu sine Charitate. n. 4. In Beatis non est Fides neque quoad actum neque quoad habitum. In animabus Purgatorii est Fides quoad habitum; in damnatis vero datur tantum Fides naturalis, & acquisita. ibid. & num. 5. Hæretici etiam quoad Mysteria quæ credunt, carent Fide supernaturali, & infusa. n. 8.

3. Dupliciter aliquid potest esse necessarium ad salutem, scilicet necessitate mediæ, vel necessitate præcepti. Illud est necessarium necessitate mediæ, quod sive culpabiliter, sive inculpabiliter deficiente, salus haberi non potest. Illud vero est necessarium necessitate præcepti, quod inculpabiliter deficiente, adhuc salus æterna obtinetur. Tract. 21. cap. 2. num. 9. Certissimum est habitum Fidei esse necessarium necessitate mediæ ad salutem; quia dimanat a Gratia Sanctificante, sine qua nullus salvari potest; & ideo hic solum agimus de Fide actuali, quæ rursus duplex est: Explicita, & implicita. Explicita est cum aliquis articulus in particulari, & in seipso creditur; implicita est quando aliquid creditur in alio, in quo tanquam in principio universalis continetur; & sic qui credit quidquid S. Romana Ecclesia credit, omnia Fidei Mytheria implicitè credit. num. 10. Salus supernaturalis est duplex: justificationis, per quam sanatur homo ab omni infirmitate peccati, tum originalis, tum personalis: Et glorificationis, per quam liberatur homo ab omni miseria vitæ præsentis. Illa igitur Fides, quæ est necessaria, & sufficiens ad primam salutem, est etiam necessaria, & sufficiens ad secundam. n. 11.

4. In omni statu necessarium fuit, necessitate mediæ, ad salutem animæ, sive primam siue secundam consequendam, aditus rationis usum habentibus, explicite credere: Deum esse, & remuneratorem esse, & Authorem donorum supernaturalium. Tract. 21. cap. 2. nu. 12. Post lapsum Adami, & ante Evangelii promulgationem, Fides Christi saltem implicita fuit necessaria, necessitate mediæ, ad salutem. num. 14. Post Evangelii sufficientem promulgationem Fides explicita Christi: scilicet Incarnationis Filii Dei, Mortis, & Resurrectionis illius, nec non & Mytherii Santissimæ Trinitatis, per se loquendo, est necessaria, necessitate mediæ, ad utramque salutem consequendam; per accidens vero potest sufficere Fides implicita, dictorum Mytheriorum, ut in casu, quo